contra septentrionem nec diabolus mentes ue confitentium intret per temptationum. Arbores illius proceritate spei robore. Alias arbores precellunt. dum quelibet fideles anime per ceritate desiderii: spe castitatis robore perseverantie. Alias ascendunt; Per cedrum intelligitur Christus. Est cedrus alta Libani conformata ysopo. quia cum esset sublimis: factus est humilis. Passeres sunt predicatores. Pulli: sunt hii quibus predicationis sunt parati. Nidus: quiete mentis locus; In hac ergo cedro nidificant. qui tranquille vivendo. de eterna beatitudine non desperant; Sunt cedri Libani quas plantavit dominus; Cedri Libani sunt divites huius mundi, Passeres sunt cenobiorum rectores; Pulli discipuli. Nidus: officinarum locus; In his cedris. passeres nidificant. quia rectores animarum in possessionibus divitum cenobia locant; Ibi passeres clamare non cessant. ut sibi a deo escam querant; A deo sibi escam querant: qui verbi divini eloquii quotidiano cibo saciari volunt; Die ac nocte clamitant. qui pro suis benefactoribus toto adnisu vitam a domino rogant. In mundo tranquille mentis pennas contemplacionis nutriunt, Quibus ad predictam cedrum. quam citius poterunt evolare contendunt. Extra ligna Libani volitant. quia vitam seu mores virorum sublimiorum scire desiderant; Ex his lignis Libani. Salomon ferculum fecisse legitur. quia ecclesia de viris sublimibus infatigabilibus fatigatur;

Item de cedro.

Sicut cedri quas non plantavit dominus non plantavit in ipsa voluntate. non dilatavit in cupiditate; Omnis plantacio quam non plantavit pater meus celestis: eradicabitur. Hii cedri Libani sunt divites superbi; In his nidificant herodii et accipitres. id est raptores. Nidos componunt: quia in possessionibus divitum. raptores municiones construunt; Pulli: sunt complices raptorum seu ministri. He volucres in cedri. ut rapiant latent. quia raptores nocendi potentiam: a principibus perversis habent; Sed dominus confringet cedros Libani. id est divites mundi. quosdam per penitentiam. quosdam per iudicium. Per penitentiam confringet. quando sicut vitulum Libani comminuet. Comminuet sicut vitulum Libani. ad imitationem vite Christi. in sacrificat vitulus sacrificiis aptus. ut carnem mortificet: et cum Christo crucem portet. Per iudicium confringet alios. quia eterno igni reservandos. Predicta cedrus succisa multis proficit. quia Christus morte propria mundum redemit; Est enim granum frumenti cadens in terra. m. f. i. s. m. Si autem. m. f. m. f. affert; Cedrus ergo succiditur dum Christus moritur; Mors siquidem Christi multis proficit. descendens ad inferos. surgens a mortuis. ascendens in celos. spem resurgendi morientibus dedit; Quid enim prodesset vivere tribulationibus contriti. ad extremum mori. non sequeretur spes resurgendi: Et quid prodesset resurrexisse. non constans esset hominem immortalem absque supplicio sine fine manere: Similiter cum cedrus quam plantavit dominus succiditur. multum proficit quia ad eterne beatitudinis edificium transfertur; Si autem cedrus quam non plantavit dominus succisa fuerit: non minime utilitatis erit. quia que nullum fructum ferebat in Libano. id est in seculo. pondus edificii succisa sustinet in spiritali templo. Ita dico si cedri superbiam succidas per penitenciam. si vero per iudictam succidas gehenne incendiis illa concremandam in perpetuum servas;

DE PELLICANO.